

Letter 491: [End of December] 1532, Basel, [Oswald Myconius] to Capito

The autograph original of this letter is in Zurich ZB, F 81, f. 418.

S. Recte mones ut caveam, ne fidei meae simplicitas, qua sum usus hactenus et crebro et diligenter amicis aliorum conatus significans, fraudi sit tandem mihi, praesertim postquam omnia cadunt tam infeliciter. Quicquid enim egimus in hodiernum diem usque scribendo tam iacet, ut omnem feci spem concordiae inter nos abiecerim. Dissentimus ubicunque contra Pagorum est agendum insolentiam. Nolumus audire nedum non sequi alii aliorum consilia, etiam quae supplices petivimus. In causa proximi conventus, consilium (quod nimirum scriba noster exposuit) prorsus est reiectum, ne praelegeretur, etiam postquam consul Scaphusianus, qui legerat, summis id viribus persuadere conaretur. Nec est huius pertinaciae alia causa reddita, quam non est in mandatis nostris. Ex nimia tamen commendatione dicti consulis tantum remiserant de pertinacia, ut tandem peterent exemplar, quod ad suos referrent; at denegatum est hisce fere verbis: Si non eius existimationis sumus apud vos, ut quod petiistis, legere dignemini, videtur reddendum, a quibus accepimus inviolatum. Quamobrem in ius Tigurini cum Pagis concedere receperunt, solis horum minis adacti. Pacem violatam quaeruntur Pagi, quod mandatum Tigurinorum prohibeat suis, ne missam audiant. Causa adiiciunt (sic ad me relatum): quod inter pacis condiciones scriptum sit: Si quid negotii sive ad fidem, sive ad res prophanas spectantis inciderit, quapropter alterutra partium se laesam existimet, id iure dissolvendum esse. An non istud est quaerere causam, ut animo pravo indulgeas? Verum adeo sunt timore atque stupore correpti nostri, ut non invenire possint per quod elabantur. Imo postquam pax ista iam toties est ab adversariis dilacerata vel per haec quod contra nos agunt ante Caesare cunque Pontifice Romano, nulla dissimulatione, tum, cum quod egerunt per pacis condiciones maxime liceat, non est tantum aciei, ut videant sibi esse, quare Pagos ipsi merito culparent accusarentque et multis nominibus persequerentur. Vides spem quam conceperas ex verbis scribae. Non quod hic aliquid vani dixerit, nam ad consilium dominorum respexerat, sed ut intelligas miseriam illorum. Omnes etenim nos pariter in spem et erectos fefellerunt. Bernensibus praeterea Pagorum insolentia respondit, ut hoc ipsum, si non momorderit, nihil est quod ab eis boni speremus. Asperrime contenderunt inter se, dumque disceptatio foret de primo statim pacis articulo. Pagi contendunt fidem suam, vel nostrorum testimonio, veram illam, veterem, indubiam et Christianam esse. Quod dum Bernenses negarent pertinacius nunquam se tale quicquam confessos, aiunt isti. Si scivissemus hac fallacia vos fuisse usuarios, eo robore et animi constantia quaesissemus, ut experientia didicissetis qualem hostem excitavissetis, nec interim tamen vos contemnimus. Vide, quaeso, pientissime virorum, quae verborum arrogantia, quaeque mordacitas. Sed videamus, quinam Bernenses ista sint interpretaturi. A Pagis et illud, ut nihil omittam, dictum. Non, non fieri potest, ut unquam reconciliemur fide nostra diversa manente, nam abhorret animus noster a vobis, itidem et a nobis vester, quamobrem videndum, quid agi maxime oporteat. Clara sunt haec animique hostis testantia. Quicquid nos tandem de ipso speremus? Igitur instabit vel vi vel alia ratione quacunque dum alteri parti cedendum est. Sic stat sententia. Deus sua misericordia largiatur, ne mali daemonis astu pessundet iusticia eius. Consiliis iuvato, si qua tibi fuerint.

Reliquum est, si res ita habet, ut scriba narravit nobis de Lutheri confessione ultima (id quod literae tuae non ita plaene explicant), bene contenti sumus et agimus gratias Deo, uti par est, maximas. Miraris quod in n[ego]cio eucharistiae, quod tragaediam futuram nonnihil repraesentare videbatur, te non iunxerim Buc[e]ro. Ingeniorum diversitas pro meo quidem

iudicio in causa fuit. Adeo mihi tua omnia candi[da] et pro fide tua simplicia et vera videntur. Illius vero mixta, nescio quo ambicionis spiritu. Iam ve[ro], non novi hominem, nisi ex scriptis, quae docent ingenium magnificentum, altum, copiosum, ut satis [mi]rari nequeam, qua de causa errare possum. At hunc errorem facile agnoscam, et lubens, po[st]quam secus rem esse cognoverim quam visa sit. Quare boni consules quod scripsi, nam ago simp[li]citer tecum, ut vides, et confidenter. Vale nosque semper quam commendatissimos habeto. Basileae.
[Address]: Ad Capitonem.